





E. J. num. 4.

8  
PRIMAE LINEAE  
JVRIS ECCLESIASTICI  
VNIVERSALIS

1773, 9.

P. 348

16

QVAS  
ADSPIRANTE DIVINI NVMINIS GRATIA  
RECTORE

VNIVERSITATIS EBERHARDINO-CAROLINAE  
MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DVCE ET DOMINO,

DOMINO

C A R O L O

DVCE WIRTEMBERGIAE AC TECCIAE rel. rel.

PRÆSIDE

CHRISTOPH. FRIDER. SCHOTT,

S. THEOL. DOCT. ET PROF. EXTRAORD.  
PHILOSOPHIAE PRACT. ORD. PVBL. CONTVBERNII ACAD. RECTORE,  
SCHOLARVMQVE LATINARVM SVPERIORIS WIRTEMBERGIAE  
PÆDAGOGARCHA, SOCIET. LATIN. JENENSIS ET BADA-  
DVRLAC. MEMBRO HONORARIO,  
AD CONSEQVENDOS SVMMOS IN PHILOSOPHIA  
HONORES

IN AVDITORIO PHILOSOPHORVM AESTIVO

Die Sept. MDCCLXXIII.

PVBLICE DEFENDENT

GEORGIVS FRIDERICVS ZÜGEL, *Stuttgardianus.*

CHRISTOPH. GVILIELM. ERGENZINGER, *Stuttgard.*

AVGVSTVS VDALRICVS PFAFF, *Cantstadiensis.*

MAG. PHILOSOPH. CAND. IN DVCALI STIPENDIO THEOLOGICO.

TVBINGÆ,

IMPRIMEBAT JOH. AD. SIGMVND.



PRIMAE LINEAE  
LIVIS ECCLIASTICI  
A NIVERTALIS

AD HANC PARTEM DEI  
SACRIFICII  
DOMINUS


CHRISTUS  
ECCLESIAE


AD CONSOLIDANDAM  
ECCLESIAM

IN HUIUS  
MUNDO

ET IN  
MUNDI

11  
12  
13





Q. D. B. V.  
PROLEGOMENA

§. 1.



Inter societates, quæ ab hominibus ineuntur, nulla est nobilior augustiorque, quàm quæ *ecclesiastica* dici solet, cum *finis sui excellentia* omnes longe superet; unde nec ulla etiam magis est digna, quæ accuratè consideretur, cujusque cum *jura* tum *obligationes* applicatis ad eam *Juris naturalis* præceptis investigentur, quod à plerisque post *Juris Publici universalis tractationem* fieri solet, cum *civilis & ecclesiastica* societas non tantùm æquè latum habeant ambitum, sed & altera in alteram mutud influant.

§. 2.

Pertinere autem *Juris ecclesiastici* considerationem ad *Jurisprudentie naturalis disciplinas*, quocunque etiam *hec* sensu sumatur, in-

de intelligitur, quod quisque ad se ipsum attendens, viresque à natura in se collatas considerans, rationis suæ solius ope cognoscere & potest & debet, auctorem naturæ Deum, qui omnia ad rerum creaturarum salutem & felicitatem, quam quæque consequi potest, maximam ordinavit, ad obtinendum hunc finem beatissimum, haud minus non potuisse non velle, ut omnes ipsum agnoscerent, revererentur, colerent, quippe qua sola via ad veram beatitudinem hominibus patet aditus, ac ipsos ad sui conservandi perficiendumque studium obtrinxisse intelligitur.

## §. 3.

Vti enim ex hoc officio naturali jura fluunt perfecta, quorum complexus *Jurisprudentiam naturalem* absolvit: ita ut ista obligatio, æque naturalis, & ad omnes pertinens, *ejusdem generis jura* pariatur, ad eandem disciplinam referenda, oppido necesse est; quæ cum omnibus, qui Deum pro sua de ipso persuasione non animi tantum cultu, sed & externis actibus demonstrato, prosequuntur, sint communia, non singulos tantum seorsum & privatim Deum colentes, sed & plures hunc in finem societate conjunctos, publicumque Numini divino cultum exhibentes, à quorumvis perturbatione, quæ injuria vacare nunquam potest, tutos præstare debent, & isto quidem casu *conscientiæ jura*, hoc vero *ecclesiastica* appellantur, quibus, cum ad omnes, quotquot dantur, ecclesias pertineant, *Jus ecclesiasticum universale* absolvitur.

## §. 4.

Cujus præcipua capita ut perspicue exponamus, vix melior iniri posse ratio videtur, quam ut ante omnia societatem ecclesiasticam à civili sejunctam, & in *statu*, quem dicunt, *naturali* constituta

stitutam consideremus, & postea demum *in utriusque erga se mutuo habitum* inquiramus, & quid juris *summo imperio circa sacra* competat, explicemus, hoc pacto ea, quæ difficultatem habere possent, multo felicius è medio sublaturi.

SECTIO I.  
DE ECCLESIA IN GENERE, ET EXTRA CIVITATEM,  
CONSIDERATA.

§. 5.

Dicitur autem *Ecclesia* plurium idem de Deo sentientium ad religionem excitandam, augendam & conjunctis viribus exercendam inita societas; *religio* autem studium Deum modo, qui voluntati ipsius conveniens cognoscitur, colendi, divinæ benevolentiae, ac per eam æternæ salutis, adipiscendæ gratiâ.

§. 6.

Cum igitur omnis religio actum animi internum, eumque à mentis de Deo rebusque divinis persuasionem pendente dicat, *cultus Dei*, qui *internus* appellatur, & animi actibus absolvitur, est id, quod in religione præcipuum, *cultusque externi* basis & fundamentum est, qui nisi *ex interno* fluat, *ejusque*, quod & esse debet, *sit expressio*, adedò cultus divinus non est, ut potius ejus sit *contrarium*, divinique Numinis *contemptus* jure merito habeatur; cum uti *coli* dicitur is, à cuius *perfectionum* consideratione ad agendum movemur, ita fieri non potest, quin ei, qui *in speciem tantum* & *simulatè colitur*, tribuatur *imperfectio*, quæ *contemptum* parit.

§. 7.

Cultus externi species est *cultus sociatus*, isque vel *domesticus* intra privatos parietes, vel *publicus*, in omnium conspectu, ad-

junctis rituum solemnitatibus, præstitus; unde intelligitur, cum & de his cultus speciebus idem valere debeat, quod de cultu externo diximus, sociatum Dei cultum veri nominis cultum esse non posse, nisi quantum ex interno fluat, mentisque nostræ de Deo & rebus divinis persuasione respondeat.

## §. 8.

Consequens inde est, ut, cum in internos mentis animique actus non detur, nisi rationis, imperium, etiam *religio sit cogi nescia*, cultusque hinc etiam externus sociatus *ab omni imperio liber* esse debeat, quum utrumque æque sit *impium*, cultum divinum ab animi sententia alienum & *imperare*, & *præflare*.

## §. 9.

Vti igitur quilibet homo jure gaudet *libertatis conscientie*, quæ facultatem dicit, *suo nec alterius judicio*, at, quod ipsa summa rei gravitas poscit, non nisi post severius examen institutum ferendo, *de rebus ad religionem pertinentibus statuendi*, atque hinc nemo cogi potest, ut *societati alicui ecclesiasticæ diversum sentienti se adjungat*: ita, cum *cuiuslibet societati*, ut *personæ morali*, eadem, quæ *singulorum* sunt, *jura* competant, ut *nec ulla societas* religionis causa instituta, *ab alia qualicunque* ad sententiam mutandam, fidemque alterius à sua alienam amplectendam *citra injuriam conscientie illatam* cogi possit, ultro consequitur.

## §. 10.

Neque vis conscientie illata *minus injusta* haberi potest, si *saluberrimo consilio*, alterum ab errore exitiis æternam perniciem *al-  
laturo*



laturo revocandi. inferri dicatur, cum *justitia* non à *sine agentis*, sed à *legis dispositione* pendeat, & quod maximum est, ipsa natura & indoles religionis intercedat, quò minus finis iste salutaris hoc pacto obtineri queat; nisi quis, contra omnem rationem §. 6., sola externarum actionum quadam conformatione, religionis exercitium absolvi sibi persuadeat.

§. 11.

Vti porro nemo vi adigi potest, ut *fidem*, seu persuasionem suam de rebus ad religionem pertinentibus, nisi erroris convictus, mutet: ita nec obstringi quisquam potest, ut quam *semel professus est fidem*, quamvis *falsam* postea à se deprehensam, usque retineat; quin nec *se ipsum* quis ad fidem ne isto quidem casu mutandam obligare valide potest, cum circa ea, quæ non sunt in nostra potestate, non detur valida pactio.

§. 12.

Quæ cum ita se habeant, consequens est, ut quæ religionis communi studio & ritu exercendæ causa initur *societas, ecclesiastica* dici solita, non possit non esse *equalis*. & talis quidem, quæ circa ea, quæ necessario nexu ad fidem pertinere ab aliquo judicantur, singulis societatis membris *equalia*, nullisque etiam *majoris partis* suffragiis adimenda jura relinquat, atque hinc *nullum plane imperium*, & non nisi in iis, quæ *salva fide* esse & abesse posse existimantur, *directionem* admittat.

§. 13.

Quamquam verò, obortâ de fidei aliquo capite inter sociatos controversia nunquam *major pars minorem*, immo nec *unum alterum* membrum obstringere potest, ut *suam* ea in re *judicium* sequatur.

tur, & non nisi *persuasionis* per argumenta *viz* locus sit: tamen cum & *ipsa* itidem *aqualibus* gaudeat *juribus*, nec *ipsa* etiam aliorum sententiae se submittere tenetur, & si *gravior dissensus causa exierit*, uti *singuli* à societate *exire* queunt, ita *major* etiam *pars* sic dissentientes à *communione sua excludere* potest, cum sublata consensione in fide, ipsa etiam societas ecclesiastica, huic fundamento superstructa, convellatur, imò evertatur.

## §. 14.

Neque tamen ista, quod ad ipsam fidem attinet, *jurium aequalitas*, singulis *societati ecclesiasticae* membris competens, obstat, quò minus *haec* in reliquis *inaequalis* esse queat, quin & ad *finem Ecclesiae* obtinendum esse *debeat*, qui cum doctrinam, ritus, formulas, ordinem poscat, sine *directione* nonnullis ex societate demandanda, *membrorumque* aliquo *discrimine*, quo maxime id, quod inter *doctores & auditores* intercedit, pertinet, Ecclesia stare non potest.

## §. 15.

Neque etiam fieri potuit, ut ulla unquam societas ecclesiastica *omni modo aequalis* coiret, cum *distincta religionis cognitio* homini non à *natura* sit *congenita*, sed aut à *rationis cultura*, ab aliorum *institutione* plurimum pendente, proficiatur, aut *singulari revelatione* per *internuntios voluntatis divinae* humano generi communicetur, ex quo fonte omnes fere omnium temporum populi religiosa sua instituta derivant; quo utroque casu necesse fuit, ut sub ipsa ecclesiae cujuscunque primordia in stabilienda hujus societatis forma *prærogativa aliqua juris* penes eos esse deberet, quorum operà religionis sensu imbuti fuerunt, qui eam ingrediendam duxerunt, quibusque *præeuntibus* sensus ille maxime acui, augeri & ad *exercitium* deduci potest.

## §. 16.

Eodem prorsus modo habere se res debuisset intelligitur, si singularis aliqua familia, segregem à reliquis vitam agens, sociatum introduxisse cultum ponitur, à *Patrefamilias* religionis præceptis instituta, ubi dubium esse non potest, quin *is ipse*, penes quem erat familia regimen, naturali ratione *jure* quoque gaudere debuerit, *sacra ordinandi*, societatemque ecclesiasticam *dirigendi*; conjuncto sic, quod antiquissimi procul dubio instituti est, *imperio* cum *sacerdotio*, quorum cuique tamen sua peculiaris, & pro societatum diverso fine, maxime diversa debuit esse potestas.

§. 17.

Quamvis igitur non esse necesse existimem, ut *potestas* illa, ad salutem Ecclesiæ directè curandam, ordinemque in ea servandum requisita, semper ex *delatione* aliqua membrorum Ecclesiæ vel *expressu* vel *tacita* repetatur, quippe quæ potius ex ipsa rei natura & indole sæpius fluere videatur: nulli tamen periculo locus esse potest, ne illa ultra modum extendatur, & in imperium degeneret, cum jura conscientiæ cuique salva maneant, nec obsequium posci queat in iis, quæ fidei nostræ adversantur.

§. 18.

Quodsi enim Rectores & Antistites alicujus Ecclesiæ, vel ad divinam etiam *auctoritatem* provocantes, in *ipsas conscientias imperium* sibi arrogarent, cum *potestate*, secus ac ipsi sentientes *vi ac supplicio* coerendi; manifesto id esset documento, quam profiterentur, *religionem veram non esse*, divinamque, quam jactant, *revelationem confingi*. Fieri enim haud potest, ut Deus, penes quem solum de conscientia judicium esse potest, hanc suam potestatem

aliis tribuat, aut, quod ipsi religionis indoli contrarium est, præcipiat.

§. 19.

Neque minus luculenter perspicitur, *potestatem hanc*, quæ *omnis ad religionem promovendam* tendere debet, in gravissimum *abusum*, nulla ratione ferendum, deducum iri, si eò adhiberetur, ut iis studiis, quibus *cognitio & sensus religionis* augeri confirmatique maxime posset, vel impedimentum poneretur, vel horum remediorum usu prorsus interdiceretur.

§. 20.

Quicquid autem ejus sit, sive ista *potestas societatis ecclesiasticæ directrix ex natura rei* nasci, sive *ex delatione* oriri dicatur, quod posterius, pluribus familiis, idem de religione sentientibus, & in sacrorum communionem coeuntibus, contingere omnino debuit: facile tamen patet, *inequalitate* aliqua sic in Ecclesiam introducta primitivo ipsius characteri, qui singulorum *æqualitatem* infert, ne minimum quidem derogari, cum *utriusque diversum sit objectum*

§. 12. atque *illa*, si *huic* ex potestate ista directrice damnum imminet, necessario concidere & expirare debeat.

§. 21.

Consistit igitur *potestas hæc ecclesiæ directrix in facultate ordinandi* ea omnia, quæ ad *salutem ejus promovendam*, seu ad *finem*, cujus gratia coaluit Ecclesia §. 5. feliciter *obtinendum*, facere possunt; quæ uti omnino ad *ipsam Ecclesiam* pertinet, neque *cuiquam extra Ecclesiam* concedi potest: ita a *singulis ejus membris*, quorum paucissima, ut alia incommoda taceamus, tantum *consilio & prudentia* valebunt, quantum necesse esset, *exerceri nequit*, pauciorum hinc, vel &

& unius, prout vel *res ipsa* ferat, vel *consultum* videatur, aut *permittenda* aut *demandanda*, & licet non *legalem*, eum tamen *effe-*  
*ctum* paritura, ut nisi quis ab Ecclesiæ communionem recedere ma-  
 luerit, obsequium præstare teneatur.

## §. 22.

Quemadmodum enim Ecclesiæ, uti omnis societatis, pluri-  
 mum interest, ut *ordo* & *Decorum* serventur, viresque omnium,  
*amica* etiam in *mediorum delictu consensione*, ad *finem* conspirent,  
 cum omnium maxime in hac societate *penitior animorum conjun-*  
*ctio*, vel, si dicendum quod *res est*, *Spiritus unio* requiratur: ita,  
 licet hæc vi exigi nec *debeant*, nec *possint*, nihil tamen est, quo  
 obligetur ecclesia ad *ferendos* eos, qui *sua* in reijciendis, quæ  
 pluribus placent, salutaribus institutis *pernitencia turbas* in ea da-  
 turi, aliisque *impedimento* & *offendiculo* futuri essent; unde nec ii,  
 qui nulli ordini se submittentes, suo quisque arbitrio religionem  
 exercent, *Independentes* dicti, in *Ecclesia* vivere dici queunt.

## §. 23.

Quum autem ista potestas eo tendere debeat, ut finis Eccle-  
 siæ feliciter obtineatur §. 21., ad id vero præcipue requiratur,  
 ut *fidei unitas* & *sinceritas* servetur, *cognitio Dei* rerumque divina-  
 rum amplificetur, *sensus religionis* acuatur, *cultus* Deo conjunctim  
 præstendus decenti ritu decoreque exhibeatur, *eaque*, quæ his  
*inserviunt*, provideantur §. 5., ut circa hæc maxime versetur po-  
 testas Ecclesiæ directrix, sicque *ordinem* & *decorum* in societate sta-  
 bilitat firmetque, omnino necesse est.

## §. 24.

Maximi autem momenti est ea cura, qua Antistites Eccle-  
 siæ, penes quos ista potestas est, *fidei integritati* invigilare debent,  
 cum

cum hoc vinculo ipsa societas ecclesiastica contineatur, singulisque Ecclesiæ membris jus sit, ex ipso religionis officio æque ac ex societatis inîtæ natura fluens, potendi, ut *ne, quid in doctrinæ publice receptæ typo* ipsis incisiis aut inconsultis *mutetur*, quo de ut judicari eo facilius clariusque queat, consultissimum est, publica auctoritate ea doctrinæ capita, quibus fides universæ Ecclesiæ communis continetur, *formula* quadam exponi, atque sic *Fidei Symbolum* condi, quod ut fiat, omninò est potestatis istius in Ecclesia directricis curare.

## §. 25.

Quodsi etiam exorta aliqua graviore aut de doctrina aut de disciplina difficultate, contingat, ut potestatem istam administrantes ipsi & soli suo iudicio rem decidere vereantur, rectius ab iis Ecclesiæ consuli non potest, quam ut rerum divinarum peritissimi prudentissimique in Ecclesia viri in partes vocentur, communique consilio & deliberatione res dubiæ definiantur. Vti igitur *jus Symbola* condendi, ita & *jus Synodos* vel *Concilia* congregandi Potestatis illius pars est.

## §. 26.

Neque minus ad hanc potestatem pertinere jus intelligitur, *cognoscendi & judicandi* de iis, qui *aut* a fidei receptæ doctrina desciscientes, *aut* salutaria Ecclesiæ instituta contemnentes turbantesque, *aut* flagitiosam vitam agentes, *damna dant* in Ecclesia, eosque, si ad saniozem mentem melioremque frugem reduci se haud patiantur, a *consortio Ecclesiæ excludendi*, aut si nondum spes emendationis evanuerit, illos *his* vel *illis* Ecclesiæ *beneficiis ad tempus*, & donec ipsos resipuisse constet, *privandi*; quorum illud *majus*, hoc *minus excommunicandi Jus* dicitur.

## §. 27.

§. 27.

Quantumque autem momenti res est, ut *fidei unitas & sinceritas* salva & intemerata fervetur, haud minorem tamen curam meretur *verae pietatis promotio*, ad quam Ecclesiae institutum praecipue tendit, & quae ex *cognitionis salutaris, uberioris* usque, magisque *vivae*, incrementis oritur, cui fini obtinendo cum nihil magis inferviat, quam ut *docendi* in ecclesia munus viris *doctrinae facultate* haud minus, quam *vite sanctitate*, praeter reliquis conspicuis demandetur, salus Ecclesiae vel maxime poscit, ut potestas ejus directrix horum quoque sollicitam habeat curam, & vel *ipsa idoneos Ecclesiae Ministros constituat*, vel, si *ipsis ceteribus jus* suos sibi *vocandi* Pastores reservatum sit, prospiciat, ut non nisi *explorati & probati* ad gerendum munus admittantur, unde certe *Jus confirmandi* competere ipsi debet.

§. 28.

Neque sufficit, ut, *qui doceant*, cum delectu nominentur, sed & omnino requiritur, ut *quali doctrina utantur*, constet, cum nec Ecclesiae indoles, nec jura singulis ipsius membris quaesita permittant, ut in fidei doctrinis omnium consensu admittis sine ipsius Ecclesiae definitione quicquam temere mutetur §. 24. Jure hinc gaudeat necesse est potestas directrix *Ministros obstringendi*, ut ne à *fidei publicae formula* in doctrinis suis recedant, multiplicatisque ceteribus ad eandem Ecclesiam pertinentibus, auctisque directionis ecclesiasticae negotiis, cum *Superintendentes*, sive *Episcopos*, specialem plurium coeum curam gesturos, tum *Consistoria* constituendi, univ ersae Ecclesiae saluti invigilatura,

## §. 29.

Quin &, cum nulla ratio pateat magis expedita, mentes animosque *salutari cognitione & vivido religionis sensu* imbuendi, quam ut ipsa *juventus ad discendas literas, & imbibenda virtutis præcepta*, maturè adducatur; quam maximè etiam *potestatis* in Ecclesia *directricis* esse intelligitur, *curare*, ut *Schole, Gymnasia, Seminaria, Academia* constituantur, *idoneis Præceptoribus Doctõribusque* instruantur, *bonisque legibus & ordinationibus* regantur, & singula hujus generis instituta finibus, quibus inserviant, quantum fieri potest optimè respondeant.

## §. 30.

Vti verò hæc hætenus exposita *potestatis* in Ecclesia *directricis* cum *officiis* tum *jura* ad cultus *interni*, qui *externi* basis & fundamentum est. §. 6. promotionem maxime pertinent; ita, cum ecclesiastica societas sine *externo* eoque *sociato cultu* ne cogitetur quidem, facile perspicitur, ea, quæ etiam circa *hunc* in salutem Ecclesiæ sunt providenda, non minus ac reliqua ad eos pertinere, penes quos est societatis ecclesiasticæ directio. Quapropter cum determinatus modus, quo religio in publicis coetuum conventibus exercetur, *Liturgia* dicatur, *Jus* etiam *liturgicum* cum potestate *directrice* conjunctum esse debet.

## §. 31.

Eò autem, nisi *ipsis* fidei, quam Ecclesia profitetur, præceptis res definiatur, pertinent, ut *locus & tempora flata*, quibus conventus sacri sint instituendi, determinentur, *ritus & cerimonie*, in obeundis sacris observandæ, designentur, *precationum, cantionum*, & si quæ aliæ sint, *formule* concinnentur, & quæ prætereterea ejus generis



generis plura dantur; in quibus omnibus præscribendis definiendisque id maxime curandum est, ut singulæ hæc cultus *externi* partes re ipsa *interni* sint declaratio, atque ad eum *fovendum acueundumque* faciant, atque hinc caveatur, ut ne *nimia externorum mole interior religionis sensus quasi oppressus in opus, quod dicunt, operatum* degeneret.

## §. 32.

Denique cum societas ecclesiastica, uti societas omnis, *pacisci* cum aliis, & *jura* atque *res proprias* acquirere sibi, *patrimoniumque* hinc habere possit, patet etiam, *Jus administrandi* hæc, utpote quod singula Ecclesiæ membra conjunctim exercere haud magis valent, ac reliqua, de quibus diximus, omnino etiam *potestati* reliqua in salutem Ecclesiæ exercenti commissum demandatumque esse intelligi; cujus hinc est *prospicere*, ut *omnia salva* maneant, atque *non nisi ad eos usus, ad quos destinata* sunt, impendantur.

## §. 33.

Atque hæc fere sunt *præcipua Jura*, quæ posita societate ecclesiastica non possunt non competere *Ecclesiæ cuiuscunque*, utpote ad *finem* ipsius obtinendum prorsus *necessaria*; quæ licet ab iis, quibus *Cura Ecclesiæ* vel *permissa* vel *delata* est, exercentur, *suoque* hinc *complexu potestatem* in Ecclesiæ *directricem efficiant*, ab *Ecclesiæ* tamen ipsa *divelli & amoveri* nunquam possunt; nullumque esse dubium potest, quin ea potestas, si *secus ac Ecclesiæ salus id poscit*, ab iis, quibus commissa est, administretur exercenturque, ab Ecclesiæ *revocari & ad se trahi* queat.

## §. 34.

Præter hæc *Jura*, quæ Ecclesiæ, quantum ad *internum* ipsius *statum* adtinet, competunt, sunt ipsi & *alia*, quæ *externum* ejus *statum*

*statum* respiciunt, si, quomodo se ad alias *societates* vel *quascunque*, vel itidem *ecclesiasticas* habeat, in considerationem ducitur. Et de ipso quidem *habitu* ad *republicam*, si *iidem*, qui sunt *membra* *Ecclésiæ*, *Cives* quoque sint, *imperio civili* subiecti, statim dicemus,

§. 35.

Quod autem ad eas *societates* adinet, quibus nullo *dependentiæ* nexu adhæret, earum respectu gaudet *Jure securitatis*, omnibus *hominibus connato*, omnibusque hinc etiam *societatibus*, sine *injuria* in alios vacante initis, *communi*, ut nec *impediri justè* queat, quò minus in *societatem* coëat, nec in suis actibus *turbari sine injuria*, multoque itaque minus per vim *dissolvi evertique* possit. Atque eò *gravior* futura esset, si qua inferretur, hujus generis *injuria*, quò *sanctius* est *officium* omnes homines ad *Numinis cultum* obstringens, & quò *inviolabiliora* merito habentur *Conscientiæ jura*.

§. 36.

Atque hæc ipsa *jura* firmum etiam *securitatis* præsidium munimentumque sunt, adversus vim ab una *ecclesia alteri* inferendam, quæ quamvis sine ad eò non *religioni* contrario inferri dicatur, ut potius ad *veram falsæ* substituendam tendat, *injuria* tamen vacare nunquam potest, cum ipsi *religionis notioni* id adferretur, ut vi in animo produci queat *persuasio*, quæ omnis, quantaquanta est, ab *argumentorum robore & veritatis examine* libero pendet.

SECTIO II.

DE ECCLESIA IN SPECIE, IN SVO CVM CIVITATE NEXV  
CONSIDERATA.

§. 37.

Quum homines seorsum intra angustos *familiarum terminos* vitam agentes parùm *tuta firmaque* uterentur *pax*, non potuit non fieri, ut

ut jam primis fere mundi temporibus *securitatis suae firmandae causa* suas cum *vires tum habitationes* cum aliis conjungerent, seque *civili imperio* submitterent; quod, uti *potestatem* dicit, in *omnes & in omnia*, quae sunt vel fiunt in civitate, latissimè patentem, nullamque *societatem* in civitate *peculiarem ferre* potest, quae ab ipsius potestate prorsus *exempta* sit, ita necessario etiam vim suam in *Ecclesiam* exercere debet, cui vicissim non possunt non esse *sua civitatis respectu jura*; quae omnia qualia sint, & quomodo *Civitas & Ecclesia* mutud se habeant, paucis jam inquiremus.

§. 38.

Ante omnia autem observandum monendumque esse videtur, utramque hanc societatem & *civilem & ecclesiasticam*, licet *diversos fines* propositos sibi habeant, adeò sibi non adversari, ut potius amicissime conspirent, & non *una tantum stare*, sed & *mutuo* sibi *adjumento* esse possint, quin & debeant, quum nec *vinculum*, quò continetur *civitas*, satis *validum* sit, nisi à *religione* ipsi accedat *firmitas*, nec *Ecclesiae pax & tranquillitas* stabilis obtingat, nisi *civilis imperii praesidio* muniatur.

§. 39.

Negari quidem haud potest, fieri posse, ut hominum aliquis coetus erronea persuasione seductus, *humani imperii auctoritatem* omnem in *vitio ponendam rejiciendamque* putet; quae hujus generis *Ecclesia*, si simul *pareri* eidem *sine peccato* posse negaret, omninò cum civitate consistere non posset. Neque tamen vel ipsi *TREMVLII*, magistratum recte geri negantes, obsequium salva conscientia praestari non posse statuerunt, usu etiam postea, cum in *Pensylvania* rempublicam sine magistratu stabilitum irent, edocti, & istam

C

per-

persuasionem errori suam originem debere, ac sanæ rationi ad-  
versari.

§. 40.

Alterum, quod observandum putamus, est, quod *summus* in  
civitate *Imperans*, si vel maxime sibi persuadeat, *religione carere*  
*posse rempublicam*, nunquam tamen *jure* gaudere queat, *cuiquam*  
subditorum suorum *cultu divino interdicens*. Quoniam enim, qui  
in civilem societatem concesserunt, subjectionis suæ pacto se sub-  
miserunt imperio, *cives* sic & *subditi* facti, non tamen *homines* esse  
desierunt, nec *juribus humanitati* adhærentibus exuisse se censendi  
sunt, quibus, cum ex *naturali* etiam *officio*, interno conscientiæ  
sensu ipsis injuncto, fluant, neque si voluissent, *renunciare* unquam  
valide potuissent.

§. 41.

Vt autem clarè pateat, *quæ & qualia* sint *Jura* summo *Impe-*  
*ranti* in *societatem ecclesiasticam* civili adjunctam & subiectam compe-  
tentia, ipsi *fontes* sunt indagandi, ex quibus illa prosuunt, inter  
quos *præcipuus*, & si *summum Imperantem*, ut *talem*, unicè spectes,  
*unicus* quoque est *Majestas*, seu summa ubique in civitate potestas,  
ad procurandam promovendamque reipublicæ salutem in ipsum  
collata, quæ potestate *legislatoria & executoria*, *supremaque* in omnia  
*inspectionis* jure absolvitur.

§. 42.

Quum enim hæc potestas ad *omnia*, quæ sunt in *civitate*, se ex-  
tendat, *summa* hand amplius futura, si quicquam ei haud subesset,  
ut & *ecclesiasticam societatem*; quæ est in *civitate*, *subiectam* sibi habeat,  
neces-

necesse est. At verò, cum *religio*, cui exercendæ hæc societas in-  
 servit *imperium* omne *respuat*, concipi non potest, quo alio pacto *ecclē-*  
*siastica societas* sublit *Majestatis imperio*, quam ut hæc cavere, queat, *ne*  
*sub religionis calumnia detrimenti quid capiat respublica.*

## §. 43.

Ejus itaque generis & indolis sunt jura *civili imperio*, ut *tali*,  
 circa *sacra* competentia, ut *negativam* potius, quod dicere solent,  
 quàm *positivam* decernendi præcipiendique *facultatem* inferant, quâ  
 non quid *fieri in salutem Ecclesiæ*, sed quid *omitti in salutem reipublicæ*  
 debeat, definiatur; quod *jure* fieri posse, ex *Jure securitatis*, uti  
 singulis hominibus, ita & cuicumque societati per se compe-  
 tente, ultro perspicitur.

## §. 44.

Neque obstat, quod dici forsân posset, ea, quæ à summo im-  
 perio *omittenda* jubeantur, ejus esse posse generis, ut *salva religione*  
*negligi* nequeant; quod licet contingere nunquam posset, si revera  
*id, quod* vetatur, *pacem* reipublicæ turbaret, eorumque, quibus ve-  
 tatur, de religione *sententia* haud foret *erronea*: dandum tamen  
 est, fieri posse, ut contingat, si vel imperans *præter jus & fas* rei-  
 publicæ salutem contrarium declararet, quod ei non adverteretur, vel  
 Ecclesia errore abrepta *illicitam* duceret eorum *omissionem*, quæ ta-  
 men nulla *lege divina* præcipiantur, quorum illo casu non *jus*, sed *vis*  
 tantum, cogitatur, hoc verò *jus* quidem adest, sed propter *jura* etiam  
*erranti conscientie* competentia nullam aliam *vim* admittens, quàm  
 ut sic in detrimentum reipublicæ errantes ab ipsius communione  
 excludere liceat.

## §. 45.

Vti enim qui *jure suo* utitur *nemini injuriam facere* rectè dicitur:  
 ita nec *Ecclesiæ* ab *imperio civili* injuriam fieri quisquam dixerit, si  
 C 2 hoc

*hoc suo se conservandi jure, & maxime ita, uteretur, ut nec illius juribus quicquam decederet, quod haudquaquam fieret, si civilis societatis beneficiis privaretur, ad quæ nemini jus esse potest, nisi ea lege, ut ipsius salutem non tantum non impediatur, sed & promoveatur; cum contra, si potestate sua abusa Majestas ea, quæ reipublicæ salutem non adficiunt, simul vero conscientia judice omitti recte non posse creduntur, prohiberet fieri; duplex ab ea & civi & homini inferretur injuria, & hæc quidem eò gravior futura, quò sanctiora sunt & esse debent conscientiæ jura.*

## §. 46.

Quemadmodum autem ex his generatim de *Jure summi imperii circa sacra* constare potest, atque intelligitur, illud ob *conscientiæ libertatem*, quæ omnibus salva est relinquenda, *multo angustioribus limitibus* contineri, quàm quod Majestati in *reliquas omnes societates vel Collegia* in Civitate competere & potest & debet, cuius quippe est curare, non tantum ut *ne noceant*, sed & ut *prospiciat* reipublicæ: ita jam facilis via patet ad enumerandas diversas potestatis partes, in quas *Jus istud* resolvitur, & quas *una* complectitur, omnes nimirum ex isto fonte & velut principio §. 42. derivandas: *Majestati jus esse, cavendi, ne prætexta religionis causa detrimenti quid patiatur reipublica.*

## §. 47.

Omnium igitur primùm illud requiri intelligitur, ut summi Imperantis *Jus supremæ inspectionis*, quod à Majestate abesse nunquam potest, in omnibus, quæ ad Ecclesiam pertinent, locum inveniat, plenaque auctoritate exerceatur, cum nisi *perspectum* sit, quid rerum *agatur* in Ecclesia, nec *judicari* possit à Imperante, qui *effectus* ex ejus institutis in rempublicam redundare queant.

Exi-

Exigere itaque suo jure potest, ut nihil *clàm se habeat agatque* Ecclesia, iisque, quibus *cognoscendi* de his facultatem dederit, rerum suarum *statum omnem* fideliter exponat, quod qui juribus ipsius qualibuscunque ullo modo adversari queat, non perspicitur.

§. 48.

Et quanquam *fidei*, quam profitetur Ecclesia, *doctrinae* omnium minime *Imperio* cuicunque subsunt, earum tamen *declaratio & expositio* summo jure posci potest ab Imperante, cujus, licet aliam persuasionem *imperare* non possit, salutis tamen publicæ causa vel *maxime interest* scire, quid *credatur doceaturque* in Ecclesia, ne sub *religionis velamine* latens *perniciosa superstitio* ipsi reipublicæ exitiosa evadat. Et ipsa *notio religionis & Ecclesie* aded non ullam doctrinarum sacrarum *occultationem* vel poscit, vel suadet, ut potius ex natura *cultus publici*, qui omnis ad alios quoque vera Dei cognitione impertiendos, atque ad colendum ipsum excitandos, comparatus esse debet, earum *promulgationem & in vulgus professionem* per se deposcat.

§. 49.

Quamvis etiam haud dubiè Ecclesiæ, ut priori sectione ostendimus, potestas sit, sua negotia *suo consilio ordinandi*, internumque *statum suum dirigendi*, aut *curam* hanc *uni* vel *pluribus* demandandi, neque ipsius cum civitate conjunctio obstet, quò minùs usque hac facultate gaudeat: tamen ut hæc ipsa *potestas directrix* in civitate *supremæ* Imperantis *inspectioni* subjecta sit, ob eas ipsas, quas attulimus in medium, rationes necesse esse intelligitur; unde apparet, jure etiam suo Imperantem constituere posse Magistratum, qui ipsius nomine eos, quibus commissa est ista potestas directrix, non quidem *dirigat*, sed tamen *observet*, deque iis, quæ aguntur,

tur, *cognoscat*, &, ut nihil, quod momentum habeat, se incio aut dissentiente agatur, cum auctoritate *requirat*.

§. 50.

Neque tamen *Jus Imperantis circa sacra* mera *inspectionis* facultate absolvitur, quæ videlicet propterea maximè est necessaria, ut *caveri* possint damna in rempublicam Ecclesiæ aliquo *vicio* ilapsura, cui ut occurratur aut medela afferatur, potestate *legislatoria & executoria* quoque opus est, quæ intra quos limites continere se debeat, ex eo cognoscitur, quod omne illud *Jus circa sacra* non nisi *negativum* esse possit, §. 43. mereque in *avertendis à republica damnis* versari debeat.

§. 51.

Atque sic quidem à *summo* in civitate *Imperio* intra istum, quem diximus, modum in salutem rei publicæ *leges sanciri* possunt, Ecclesiam ejusque negotia & res respicientes, quarum complexus *Jus ecclesiasticum publicum* dici solet, uti contra *statuta & ordinationes*, quæ ab ipsa *Ecclesia* ejusque *potestate directrice* in salutem Ecclesiæ conduntur, in suo complexu *Jus ecclesiasticum privatum* sistunt, quorum *hoc minus proprio* tantum, istud vero *proprio & riguroso sensu Jus* appellari, ex superioribus intelligitur.

§. 52.

Quamquam verò, quod res ipsa docet, ne fieri quidem possit, ut in *Juris ecclesiastici universalis* expositione, qua tantum ea, quæ omnibus Ecclesiis communia sunt, dari debent §. 3. accuratior recensio eorum omnium, quæ in *Jure publico ecclesiastico* cujuslibet Ecclesiæ occurrere possunt, exhibeatur: dabimus tamen operam, ut *præcipua paucis* enarremus, & fontes quasi *aperiamus*, ex quibus reliqua facili negotio derivari queant.

§. 53.



## §. 53.

Et quod ad ipsam *Ecclesiam* adinet, quæ aut cum ipsa publica nata, dudumve in ea stabilita, concipitur, aut in eam demum est introducenda, cum sic *diverse* admodum se habeat ad rempublicam, *diversis* etiam Imperii *sanctionibus* circa eam locus esse posse perspicitur. Illa enim ut dudum *probata* considerari debet, nec juribus, quibus usque gavisa fuit, ab Imperante privari potest, cui tamen si *abusus* irrepperint, reipublicæ damnum allaturi, *jus* eos tollendi, seu *reformandi* esse debet; hæc verò tum demum stabilem in republica formam statumque nanciscetur, si ipsi *probata* & confirmata fuerit, quod quibus conditionibus fieri expediat reipublicæ, atque utrum *publici* an *privati* tantum *cultus* exercitium, idque vel *ubique* in civitatis territorio, vel in *his illisque* ipsius *partibus* concedendum ipsi sit, itidem penes Imperantem est pro reipublicæ salute sancita lege definire.

## §. 54.

Admissa etiam & confirmata in civitate Ecclesia legitime etiam requiri potest ab Imperante, legisque interdicto vetari, ut ne *conventus* instituantur, nisi *publici*, aut ab eo *permitti*, nec *actus*, ad negotia Ecclesiæ ordinanda aut expedienda, suscipiantur, nisi præsentibus iis, quos *inspectionis* suæ *suprema* *Ministros* esse voluit; unde Jus ipsi esse debet, *Synodos* & *Concilia* convocandi, ipsisque præsendi, ut & *Consistoriis* & *Judiciis* ecclesiasticis Præsides itidem adjungendi, ita tamen, ut hi ipsius Magistratus in rebus ad sacra pertinentibus *intercedendi* tantum, ne reipublicæ saluti derogetur, non *præcipiendi* aut *definiendi* facultate gaudeant.

## §. 55.



## §. 55.

Neque minus clarum est, recte caveri ab Imperante, legibusque interdici, ut ne *muneribus in Ecclesia* gerendis, ad eam sive *dirigendam*, sive *doctrina instituendam*, homines admoveantur, de quorum in se & rempublicam *animo & affectu* habeat, quod dubitet; ex quo consequitur, ut, licet *facultate* gaudere non possit, Ecclesiæ *Antistites*, & ipsius cœtibus *Ministros sacros obrudendi*, rectè tamen exigat, ut, qui ab Ecclesia aut iis, qui ipsius vice hanc potestatem exercent, *eligantur*, ipsi *præsentes* sistantur, ab ipso *confirmandi*, nisi omnino iustissimis ex rationibus ab eorum ad munera *admissio*ne reipublicæ periculum imminere videatur; qui si postea etiam *turbas in Ecclesia*, *tranquillitatem publicam* quoque concussuras, excitent, quin isto quidem nomine ab *Ecclesia*, hoc verò à *civili* etiam *auctoritate* ab officio removeri possint, dubium esse non potest.

## §. 56.

Sunt denique & *res facultatesque* ecclesiæ, circa quas leges ab Imperio civili jure ferri possunt, quas licet Ecclesia *legitimo modo & proprietatis jure*, quod singulis etiam civibus in republica saluum & inviolatum manere debet, possideat, *legum* tamen aliquod *moderamen* ob publicam salutem admittere, res ipsa docet. Pertineat eò maxime, quæ cum modum *administrandi*, tum modum *acquirendi* bona respiciunt, quò utroque respectu cum ut *rationes reddantur*, tum *ut ne nimis augeantur bona Ecclesiæ*, sic ad manus quod *dicunt mortuas*, transitura, & cum detrimento reipublicæ commercio furripienda, lege sancita potest.

## §. 57.

Plura adhuc essent, quæ addi his possent; sed sufficet ad-  
junxisse,

junxisse, quamvis summo Imperanti *ius esse nunquam possit, exigendi* ab Ecclesia, ut in *fide à se dissentientes ad sacrorum suorum communio-* nem admittat, licere tamen ipsi, nisi *leges, quæ dicuntur, funda-* mentales obtent, sed *publica salus id requirere* potius videatur, re-  
ligiosorum cœtuum diversorum *tolerantiam, quæ dicitur, politicam* jubere, quæ *veræ religioni, pacem cum omnibus & amorem maxi-* me erga errantes præbeat singulis, instituto examine, fidei suæ  
*veritatem sollicitius scrutandi, seque in ea confirmandi, quod ad ipsum* religionis sensum quoque *acueudum, animumque à superstitione libe-* randum, non potest non mirifice facere.

§. 58.

Atque hæc ferè sunt præcipua, quibus *summum Imperium, ut* tale, in *Ecclesiam* gaudere potest, *Jura, quæ omnia & singula* ejus sunt generis, ut illis *admissis nec Ecclesiae saluti, juribusque* ipsius, ex ejus *cura derivandis, quicquam decedat, nec ejus etiam,* quod ad *reipublicae salutem* necessario requiri potest, aliquid deside-  
retur; ita quidem ut hoc pacto *Imperii cum Sacerdotio, quæ dicitur* Concordia, ad salutem utriusque societatis & *civilis & ecclesia-* sticæ necessaria, *firma & stabilis* conservari queat.

§. 59.

Pandit se autem *alius adhuc fons, ex quo alia etiam, sed ea* alius quoque generis, *Jura Imperantis in Ecclesiam* derivari possunt, si nimirum is, non ut *Imperans tantum, sed & ut Membrum Ecclesiae,* consideretur; quod ubi ponitur, iterum *duplici de eo considerationi* locus esse potest, ut videlicet vel *ista potestate, quam Ecclesie di-* rectorum diximus, *instructus, vel ea, utpote ab Ecclesia ipsa sibi* servata, *carere* ponatur.

§. 60.

Quamvis enim communi fere virorum doctorum sententia pro-  
nunciari solet, inde, quod *membrum Ecclesie sit Imperans, nihil* prorogative aut *potestatis* ipsi accedere, cum primitivus Ecclesiae  
character, qui *membrorum equalitatem* infert, id nequaquam ad-  
mittat, quod facile largimur *eo valere, ut vel dirigendi Ecclesiae* societatem *potestas, vel multo etiam magis aliquid in Ecclesiam*  
imperium

*imperium dirivari inde posse, recte negetur: non tamen nullius momenti esse istam considerationem, aut nulla Imperanti ex ea jura non accedere nova, omnino putamus; quæ qualia sint, & quomodo à jure cum ipsi Imperio per se, tum Imperanti ex potestatis directivæ delatione in Ecclesiam competentibus differant, paucis dispiciemus.*

§. 61.

Facile autem apparet, Imperantis non tantum esse, *cavere, ne salus reipubl. detrimenti quid capiat, sed & curare, ut ea omnium, qui sunt in civitate, communi opera & conjunctis viribus promoveatur, cui ipsius officio convenienter illa instituta aut collegia in civitate, quæ licet reipubl. non nociva, tamen inutilia & frivola sunt, & ad promovendam reipubl. salutem plane nihil conferunt, ne ferre quidem & tolerare recte potest. Atque sic quidem nec religiosa instituta aut collegia, ex ipsius opinione superstitioni potius quam religioni originem suam debentia, toleraret recte, si rectior religionis sensus imperari posset, nec omnibus humanitatis jure conscientie libertas salva relinqui deberet; quæ cum aliud jubeant, nec fieri possit, ut ipsis istis religiosis institutis tanquam mediis ad salutem reipubl. promovendam utatur, sufficere ipsi potest, si, qui ea sequuntur, utilia sint reipubl. membra, nec, quas fovent, opiniones ejus saluti adpersentur, unde & jura, quæ ipsi in tales Ecclesias competunt, uti vidimus, intra modum subsistunt, qui prima, quod ipsi est, officii parte, reipubl. à damnis immunem præstandi, determinatur.*

§. 62.

Alia' autem longe ratione res se habere intelligitur, si ipse Imperans Ecclesie sit membrum, religionemque, quam ea proficitur, ipse sequatur, quum sic non possit esse incertus, quam salutarem influxum in salutem reipubl. habeat penitior veræ ac à superstitione liberæ religionis sensus, atque hinc etiam duplici vinculo, & ut Imperans, & ut membrum Ecclesie, obstrictum se sentiat, ad Ecclesie, hujusque opera, reipublice etiam, salutem promovendam. Cui duplici officio ut satis faciat, quin jure etiam gaudeat, dubitari nullo modo potest. Neque etiam hoc jure nihil aliud contineri designarique quis dixerit, quam jus illud omnibus Ecclesie mem-

membris *commune*, ex ipsorum officio, a nexu, quo cum ecclesiastica societate conjunguntur, pendente, oriundum, vi ejus *singulis* pro sua etiam parte in *commune* Ecclesiae bonum *consulere* licet, sed sine *authoritatis* aliqua prerogativa; cum *insigne*, quod inter utrumque hoc *ius* intercedit, *discrimen* per se in oculos incurrat. Quis enim non videt, summi Imperantis *illud ius*, uti ipsa *majestate* nititur, ita & ut ab ipsa Ecclesia, tanquam parte *civitanis*, in ipsum *delatum* considerari debere, & quæ in ornanda *beneficiis* Ecclesia proficisci ab eo possunt, tanta esse debere, ut a *nemine* alio aequè magna, nedum *majora*, Ecclesiae expectanda sint, hancque sic habere, *cur illum* tanquam summum suum *benefactorem*, *patronum*, *defensorem* suspiciat, ipsiusque *salutaribus consiliis* & *monitis* summam *authoritatem* tribuat?

§. 63.

Nec minus facile perspicitur, longe *alius indolis* esse hoc *imperantis*, ut *membri Ecclesiae*, in eam *Jus*, ac sunt *Jura*, quæ ipsi *citra ipsum respectum* in eam competunt ex *Majestate*, *per se & ut* tali considerata, quæ vixdum exposuimus. Haec enim sunt *perfecta Jura*, quæ nec *vim* excludunt, quousque ea *conscientiae* non inferetur; illud non nisi *imperfectum Jus* esse potest, *vim externam* omnem quidem respuens, omni tamen *authoritate* munitum, quæ a *rationis imperio* proficisci potest, cum utrumque *jurium genus* ad *diversos fines* tendat, alterum ad *securitatem reipubl.* tuendam, alterum ad *perfectionem Ecclesiae* provehendam & amplificandam, ex quibus *ipsis* istorum *jurium* *discrimen* naturali *consequencia* *promanat*.

§. 64.

*Jus* autem *summo Imperanti*, ut *membro Ecclesiae* in eam *competens*, præcipue in *Juris Advocatia* circa *sacra* amplificationem *resolvitur*, quod *sacrorum defensionem* & *tutelam* infert, & licet à *Majestate separatam* concipi nequeat, *aliam* tamen longe *formam* induit, *majoremque ambitum* acquirit, si ipse *imperans* Ecclesiae se *membrum* adjunxerit. Quodsi enim *diversam* ab ea *fidem* profiteatur, *tutela*, quam ab ipso expectare potest Ecclesia, intra *eos* tantum *terminos* subsistet, intra quos, quam *reliqua omnia* in *civitate collegia* experiuntur, *continetur tutela* & *defensio*, eò ten-

dens, ut ne *damnum* ipsis inferatur ipsam reipubl. *pacem & tranquillitatem* internam aut commoda turbaturum; cum contra quæ ab Imperante, Ecclesiæ membro, proficisci potest & debet ipsius *tutela* ad removenda ea etiam, quæ ipsius *saluti internæ* obstant, tollendosque hinc *navor & abusus* quosvis, comparata esse debeat.

§. 65.

Paucis, omnia Jura, quæ ad *Majestatem ut talem*, circa Ecclesiam pertinent, posita hac consideratione *novam* quasi *naturam* nanciscuntur, *potestatemque* gignunt, quæ jam non amplius est merè *negativa* §. 43. sed *positiva* evadit, ita tamen, ut ea nequaquam *coactiva*, sed tantum *directiva*, quod dicunt, esse queat. Atque sic quidem Imperanti, sacra eadem professo, in ipsam Ecclesiæ *potestatem directricem*, si in ipsum translata haud fuerit, itidem *potestas* aliqua *directrix* est tribuenda, ejusdem plane indolis, qua illa ipsa est, ut ejus administrationem non tantum *observare*, & ne vitium capiat reipubl. noxium *cavere*, quo jure ex sola majestate gaudet, sed & eam *consilio regere*, eamque *monere*, *juvare*, *moderari* suo jure queat.

§. 66.

Quæ cum ita sint, Imperantique a sacris non alieno, hæc *jura*, potestatis in Ecclesia *directricis juribus* adeo *affinia*, ob ipsam *muneris*, quod gerit, *indolem* tribui debeant: nihil magis naturale salutique Ecclesiæ convenientius esse videtur, quam ut *universa potestas* in Ecclesia *directrix*, cujus tam *insignis pars* jam suo jure ad ipsum pertinet, nisi gravissimæ causæ aliud suadere videantur, ipsi *permittatur*; quod factum etiam esse ab Ecclesia tum vel maxime existimari debet, si Imperantis, jure suo *Reformandi* usi, opera *purior veriorque religio* Ecclesiæ, singulis ejus membris *ex animi convictione* in ipsius amplexus ruentibus, parta parataque fuit §. 15 — 17. quod in Germania nostra, cum pientissimorum Principum *cura & beneficio* sacra restaurarentur, contigisse constat, ad quos hinc *potestatem* in Ecclesia *directricem universam*, licet *expresse* in eos non *delatam*, ipsis tamen certe ab Ecclesia non reclamante *permissam*, summo jure pertinere, nulla ratione dubitari potest.



ULB Halle

3

005 362 318



VD18








E. 1. num. 4.

18



B.I.G.

Farbkarte #13

M A E L I N E A E  
C C C L E S I A S T I C I  
U N I V E R S A L I S

1773, 9.

16

Q V A S  
D I V I N I N V M I N I S G R A T I A  
R E C T O R E  
E B E R H A R D I N O - C A R O L I N A E  
B E N E F I C E N T I S S I M O ,  
P O T E N T I S S I M O D V C E E T D O M I N O ,  
D O M I N O .

R O L O  
W I R T E M B E R G I Æ A C T E C C I Æ r e l . r e l .  
P R Æ S I D E  
H . F R I D E R . S C H O T T ,

D O C T . E T P R O F . E X T R A O R D .  
R E C T O R P V B L . C O N T V B E R N I I A C A D . R E C T O R E ,  
P R O F . S O C I E T . L A T I N . J E N E N S I S E T B A D A -  
C . M E M B R O H O N O R A R I O ,  
P R O F . P H I L O S O P H I A  
D O S S V M M O S I N P H I L O S O P H I A  
H O N O R E S

P H I L O S O P H O R V M A E S T I V O  
S e p t . M D C C L X X I I I .

P R O F . P H I L I P P U S Z Ü G E L , *Stuttgardianus.*  
P R O F . J O H A N N E S E L M . E R G E N Z I N G E R , *Stuttgard.*  
P R O F . J O H A N N E S P F A F F , *Cantstadiensis.*  
P R O F . J O H A N N E S M A N D . I N D V C A L I S T I P E N D I O T H E O L O G I C O .

T V B I N G Æ ,  
A T J O H . A D . S I G M V N D .

